Ihesus

MORBIO 23 (22)

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo ccccxxx°, indictione viii^a, die xxvi mensis aprilis. Actum in civitate Casalis in cantono Montaroni videlicet in domo mei notarii emptoris, presentibus magistro Raphaele de Crescentino, Gilardo de Filinengo et Antonio de Lavale, civibus Casalis, testibus notis et ydoneis ad hec vocatis et rogatis. In quorum presentia et mei notarii ibidem Albertus de ... filius quondam Petri, civis Casalis, ex eius certa scientia pro se et suos heredes ac successores dedit vendidit et tradidit, dat vendit et tradit iure proprio in perpetuum pro libero et franchum alodium domino Antonio de Gigaris de Morcellino, civi Casalis, presenti, ementi, stipulanti et recipienti pro se et suis heredibus ac successoribus, peciam unam vinee staciorum sex tabularum sex et pedum novem iacentem super posse civitatis Casalis ubi dicitur in Montarono, cui choerent heredes Johannis de ... heredes Facini Bazani, dictus emptor et via communis, sive si ibi sint alie choerentie veriores. Ad habendum, tenendum et possidendum et quicquid sibi suisque heredibus ac successoribus deinceps perpetuo placuerit faciendum, cum omnibus et singulis que infra predictos continentur confines, cum accessibus et egressibus suis usque ad viam publicam et cum omnibus et singulis que dicta vinea habet super se, infra seu intra se, in integrum, omnique iure, actione, usu seu requisitione sibi venditori ex ipsa vinea vel pro ipsa vinea aut occasione ipsius vinee modo aliquo spectante et pertinente. Et hoc pro precio et nomine precii finiti et soluti florenorum novem pro singulo stario, ad rationem soldorum xxxv imperialium pro singulo floreno. Quod precium finitum et solutum in tanta moneta numerata in presentia mei notarii et testium suprascriptorum fuit confessus et contentus se a dicto emptore habuisse et recepisse, exceptioni sibi non date, non numerate, non solute pecunie et spei future receptionis omnino renuntians. Quam vineam dictus venditor se constituit tenere et possidere nomine dicti emptoris donec et quousque dictus emptor de dicta vinea corporalem acceperit possessionem, quam accipiendi sua propria auctoritate et retinendi ei omnimodam licentiam contulit atque dedit. Promittens dictus venditor pro se et suos heredes ac successores dicto emptori pro se et suis heredibus ac successoribus stipulanti litem, causam, questionem et controversiam ullo tempore de dicta vinea non inferre nec inferenti consentire, sed dictam vineam ei suisque heredibus ac successoribus ab omni homine, comuni, collegio ac universitate legiptime defendere, auctorizare, guarentire, disbrigare et expedire, varantam et expeditam possessionem sibi tradere. Et dictum emptorem facere potiorem tam in proprietate quam in possessione. Et dictam venditionem et omnia et singula suprascripta firmam, ratam et gratam, firma, rata et grata habere et tenere et non contrafacere vel venire per se vel per alium aliqua ratione vel causa de iure vel de facto que dici vel excogitari possit, sub obligatione omnium et singulorum damnorum, expensarum et interesse cause litis et extra. De quibus damnis, expensis et interesse dictus venditor stare voluit et credere promisit solo simplici ac nudo verbo dicti emptoris sine ulla alia probatione facienda aut iuramento prestando. Pro quibus omnibus sic firmiter attendendis et observandis dictus venditor omnia et singula sua bona presentia et futura, mobilia et immobilia, pignori et ypothece dicto emptori obligavit. Renuntians dictus venditor in premissis omnibus et singulis omni exceptioni doli mali, metus, condictioni sine causa vel ex causa iniusta et in factum actioni, rei non sic geste vel aliter geste plus quam scriptum, in contrarium fori privilegio et omni alio legum auxilio quibus contra predicta vel aliquod predictorum facere vel venire posset. Precipientes dicti contrahentes per me notarium infrascriptum de predictis omnibus et singulis fieri publicum instrumentum ad dictamen sapientum si fuerit opportunum.

Ego Iacominus Tarachia filius Bati civis Casalis publicus imperiali auctoritate notarius hanc cartam michi fieri iussam manu mea scripsi et in hanc publicam formam redegi et rogatus tradidi cum appositione mei soliti signi in testimonium premissorum et me subscripsi.

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo ccccxxx°, indictione viii^a, die xxvi mensis aprilis. Actum in civitate Casalis in cantono Montaroni videlicet in domo mei notarii emptoris, presentibus magistro Raphaele de Crescentino, Gilardo de Filinengo et Antonio de Lavale, civibus Casalis, testibus notis et ydoneis ad hec vocatis et rogatis. In quorum presentia et mei notarii infrascripti ibidem Johannes Petrus Cornu ex eius certa scientia pro se et suos heredes ac successores de voluntate consensu et auctoritate Antonie uxoris sue dedit vendidit et tradidit, dat vendit et tradit iure proprio in perpetuum pro libero et franchum alodium domino Antonio de Gigaris de Montecastino presenti, stipulanti et recipienti et ementi pro se et suis heredibus ac successoribus, peciam unam vinee staciorum quatuor et tabularum septem iacentem super posse Casalis ubi dicitur in Montarono, cui choerent heredes Facini Bazani, Sebastianus (?) Johannes, dictus emptor et via vicinalis, sive si ibi sint alie choerentie veriores. Ad habendum, tenendum et possidendum et quicquid sibi suisque heredibus ac successoribus deinceps perpetuo placuerit faciendum, cum omnibus et singulis que infra predictos continentur confines vel alios si qui forent, cum accessibus et egressibus suis usque ad viam publicam, et cum omnibus et singulis que dicta vinea habet super vel infra seu intra se in integrum, omnique iure, actione, usu seu requisitione sibi venditori ex ipsa vinea vel pro ipsa vinea aut occasione ipsius vinee modo aliquo spectantibus et pertinentibus. Et hoc pro precio et nomine precii finiti et soluti florenorum octo pro singulo stario, ad rationem soldorum xxxv imperialium pro singulo floreno. Quod precium finitum et solutum in tanta moneta numerata in presentia mei notarii et testium suprascriptorum fuit confessus et contentus se a dicto emptore habuisse et recepisse, exceptioni sibi non date, non numerate, non solute pecunie et spei future receptionis omnino renuntians. Quam vineam dictus venditor se constituit tenere et possidere nomine dicti emptoris donec et quousque dictus emptor de dicta vinea corporalem acceperit possessionem, quam accipiendi sua propria auctoritate et retinendi ei omnimodam licentiam contulit atque dedit. Promittens dictus venditor pro se et suos heredes ac successores dicto emptori pro se et suis heredibus ac successoribus stipulanti litem, causam, questionem et controversiam ullo tempore de dicta vinea non inferre nec inferenti consentire, sed dictam vineam ei suisque heredibus ac successoribus ab omni homine, comuni, collegio ac universitate legiptime defendere, auctorizare, guarentire, disbrigare et expedire, varantam et expeditam possessionem sibi tradere. Et dictum emptorem facere potiorem tam in proprietate quam in possessione. Iurantes dictus Johannes Petrus et dicta Antonia eius uxor ad sancta dei evangelia tactis litteris dictam venditionem et omnia et singula suprascripta firmam, ratam et gratam, firma, rata et grata habere et tenere et non contrafacere vel venire per se vel per alium aliqua ratione vel causa de iure vel de facto que dici vel excogitari possit, sub obligatione omnium et singulorum damnorum, expensarum et interesse cause litis et extra. De quibus damnis, expensis et interesse dictus venditor stare voluit et credere promisit solo simplici ac nudo verbo dicti emptoris sine ulla alia probatione facienda aut iuramento prestando. Pro quibus omnibus et singulis sic firmiter attendendis et observandis dictus venditor omnia et singula sua bona presentia et futura, mobilia et immobilia, pignori et ypothece dicto emptori obligavit. Renuntians dictus venditor in premissis omnibus et singulis omni exceptioni doli mali, metus, condictioni sine causa vel ex causa iniusta et in factum actioni, rei non sic geste vel aliter geste plus quam scriptum, in contrarium fori privilegio et omni alio legum auxilio quibus contra predicta vel aliquod predictorum facere vel venire posset. Precipientes dicti contrahentes per me notarium infrascriptum de predictis omnibus et singulis fieri publicum instrumentum ad dictamen sapientum si fuerit opportunum.

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Ego Iacominus Tarachia filius Bati civis Casalis publicus imperiali auctoritate notarius hanc cartam michi fieri iussam manu mea scripsi et in hanc publicam formam redegi et rogatus tradidi cum appositione mei soliti signi in testimonium premissorum et me subscripsi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871596637-11/fragment/page=0001

1475 circa 22

Morbio 23 (22)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871596637-11/fragment/page=0002